



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

6. Prima conclusio ponitur & probatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

set libera, & in illo signo intelligitur cum tota perfectione, quæ necessario est in ipsa, & deinde intelligitur actu volens tale obiectum: ergo necessario est ut aliquid reale Deo addi intelligatur, à quo talis denominatio, & quasi informatio orta sit; patet consequentia, quia illa denominatio non est rationis, sed realis, quia vere, & in re ipsa Deus vult & amat, & est noua; si non duratione, saltem naturæ ordine & separabilitate, quia absolute loquendo posset non esse in Deo: ergo necesse est ut veniat à forma reali intrinseca, & ex se ipsa separabili ab omni re, & perfectione, quæ necessario conuenit Deo.

33. Vergetur, quia hæc additio quæ in æternitate intelligitur fieri Deo per actum liberum secundum diuersa signa rationis talis est, quæ si in tempore fieret realiter, mutaret Deum: ergo non est tantum additio rationis, sed vera, & realis, patet consequentia, quia per solam additionem rationis non mutaretur Deus realiter, unde multi respectus huiusmodi illi ex tempore conueniunt. Antecedens vero probatur, quia alias non esset inconueniens, Deum velle libere aliquid in tempore de nouo, nec esset inconueniens illam additionem fieri Deo extra æternitatem; nam sola mutatio realis est, quæ tollit quominus detur actus liber Dei in tempore.

34. Vltimo sic probatur, quia si relatio paternitatis in Deo non esset actus, & statim in alia duratione esset, vel posset esse, sine dubio quando actus esset, adderetur à parte rei supra entitatem intrinsecam Dei; neque sola diuinitas sine additione à parte rei relationis supra ipsam diuinitatem sufficeret, ut intrinsece daretur relatio, quæ antea non erat, quia relatio est formalitas intrinseca in ipso Deo, & non denominatio extrinseca: atqui actus liber Dei, quatenus vitalis est, est perfectio intrinseca in Deo, quæ potest esse & non esse in ipso: ergo quando est in ipso actu debet esse per additionem à parte rei supra entitatem necessariam Dei.

35. Neque sufficit sola diuinitas sine tali additione ad constituendum Deum in esse libere volentis; quia forma, quæ non est similis effectui formali, non potest constituere talem effectum formalem: sed effectus formalis, aut liber actus, quatenus liber est, est contingens, & ideo ita est in Deo, ut posset non esse, & diuinitas, quia est omnino necessaria ita conuenit Deo, ut non possit villo modo non conuenire, quia implicat contradictionem non conuenire: ergo talis effectus formalis, qui est actus liber Dei non potest provenire in Deo à diuinitate.

36. Vergetur, quia quando non datur effectus formalis in aliquo subiecto, siue sit diuinum siue creatum, est quia non datur in illo forma vel quasi forma talis effectus formalis; quia existente forma in subiecto capaci illius, non potest non dari effectus formalis illius, v. g. Verbum diuinum ab æterno non fuit unitum humanitati, hoc est defuit ille effectus formalis, unitum videlicet, & hoc quia deficiebat ab æterno vnio: quare si ab æterno existeret vnio Verbi diuini ad humanitatem, eo modo quo in tempore existit, necessario daretur tale concretum, seu effectus formalis: atqui in Deo nunc deficit hoc concretum, seu hic effectus formalis, Deus volens creaturas esse quæ non existunt, id est pure possibilibus & quæ non habent existentiam actu, & poterat esse talis effectus, scilicet Deus volens: ergo deficit, quia deficit forma, seu ratio formalis constitutiva il-

lius; atqui nullo modo deficit diuinitas, alias deficeret Deus nunc: ergo deficit alia formalitas, quæ posset esse in Deo, & nunc non est, ac proinde ut adesset illa, deberet fieri additio à parte rei talis formalitatis contingentis supra diuinitatem à parte rei.

SVBSECTIO VI.

Prima conclusio ponitur & probatur.

IN Deo datur proprius actus liber: hæc conclusio est de fide, & lumine naturali euidens. Prima pars sic probatur ex illo *1. Samueli* 93. Deus ultionum libere egit: ubi licet primario significetur libertas à timore, coactione, & acceptione personarum, supponitur tamen virtualiter, & includitur ibi libertas ab impossibilitate, & necessitate determinante ad vnam partem contradictionis; talis enim necessitas, aut impossibilitas, si Dei voluntatem & operationem aligaret ad vnam partem, non esset possibile timore concuti, vel coactione, vel acceptione personarum ab ultionibus cohiberi, propterea quod laudaretur inaniter libertas à coactione, timore, & acceptione personarum.

Quibus consonant manifestissime illud *Sapientie* 12. [non quia impotens erat in bello subijcere impios iustis, aut bestiis sanis, aut verbo duro simul exterminare, sed partibus iudicans dabas locum poenitentiae non ignorans; tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos, subest enim tibi, cum volueris posse;] ubi apertissime declaratur dominium voluntatis diuinæ cum indifferentia ad operandum vel non operandum prout voluerit, ut patet ex illis verbis: [non quia impotens erat in bello subijcere impios iustis, aut bestiis sanis &c. sed partibus iudicans dabas locum poenitentiae;] ac si diceret, ita se habere Deum circa impios, ut licet eos posset bello bestiis, & aliis huiusmodi exterminare, & destruere propter nefanda scelera eorum, nihilominus tamen ad ostendam suæ misericordiae, & libertatis excellentiam infinitam, & summe perfectam eminentiam illis tribuisse tempus, ut resipiscentes, & poenitentiae, ac lacrymarum efficacia, ac virtute antea actæ vitæ peccata decerent ad melioremque frugem sese converterent, quæ potentia cum indifferencia orta ex plenissima cognitione liquido manifestatur illis verbis: [non ignorans; tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, subest enim tibi cum volueris posse.]

Sed libertas formaliter consistit in dominio voluntatis circa proprios actus puniendi, vel non puniendi, miserendi, vel non miserendi, cum indifferentia plena ad operandum, vel non operandum quod voluerit, & eo modo quod voluerit: ergo euidenter & manifestè declaratur his verbis libertas, quæ gaudet Deus circa creaturas.

Quibus verbis alludere videtur Paulus ad *Rom.* 9. ibi: [cuius vult miseretur & quem vult induit;] & iterum, [an non habet potestatem signare luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam;] Nec discordat ipse Apostolus 1. *Corinthiorum* 12. ibi: [diuidens singulis prout vult;] hoc est ut exponit Ambrosius *secundo de fide, cap. 3.* pro libero voluntatis arbitrio non [pro necessitatis obsequio.]

Quaest. I. Vtrum detur in Deo voluntas. 297

Dices his locis solum probari Deum habere indifferentiam, & actum liberum, non tamen proprium.

41 Sed contra, quia absolutus, ac simpliciter modus loquendi, quo Deo attribuitur tale Dominium, & indifferentia ad operandum, & non operandum prout voluerit & quando voluerit manifeste demonstrat in supradictis verbis Deum habere propriam, & perfectam libertatem cum propria, & rigorosa indifferentia ad vtrumlibet: nam libertas actus voluntatis sequitur in perfectione, & proprietate ipsum actum voluntatis, amoris diuini; sed Deus habet actum voluntatis; & amoris perfectissimum, & propriissimum: ergo etiam habet propriissimam, & perfectissimam libertatem illius. Maior patet manifeste ex *Jeremia* 31. ibi. [& in charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miserans;] alia versio, in charitate perfecta amplexatus sum te; sed charitas perfecta est proprius & perfectus amor: ergo in Deo datur proprius actus amoris, & non proprius & metaphoricus; per illam autem particulam, attraxi te miserans, optime denotatur libertas, & indifferentia circa creaturas, quia actus misericordiae, & liberalitatis radicem libertatis indicat in miserante; Minor illa sic probatur, quia id quod metaphoricum, & improprium est in aliqua ratione perfectum in ea ratione esse non potest; unde licet amenitas praei perfecta sit in esse amenitatis, & floriditatis, nihilominus tamen in esse risus per perfectionem habere non potest, quia perfectio supponit veritatem, & proprietatem; quapropter vt inquit Hieronymus ad Paulinum adeo necessitudinis, & connectionis vinculo perfectio cum veritate copulatur, vt ista ruere non possit quin illa eodem labefacta motu concidat; unde sine dubio irrideretur à sapientibus ludibriumque deberet hominibus ratione vtentibus, vt inquit Seneca, qui assereret hominem esse perfectam arborem inversam, cuius nulla alia ratio est nisi metaphora quae in hac denominatione intercedit. Ergo id, quod imperfectum est, in aliquo genere proprium, & rigorosum debet esse in illo genere, sed ex verbis *Jeremiae* constat actum charitatis, & actum libere misericordiae, quo creaturae diliguntur à Deo, esse perfectum actum charitatis, & misericordiae: ergo manifeste sequitur, talem actum esse proprium & non metaphoricum.

42 Clarius autem haec omnia patent ex illo *Danieli* 3. [potens est Deus nos de manibus tuis ò Rex liberare; quod si noluerit statuam tamen, quam fecisti non adoramus;] in quibus verbis aperte docet Scriptura Deum habere omnipotentiam indifferentem ad liberandum, & non liberandum; quia potuit non liberare; cum expresse doceat Scriptura potuisse fieri vt Deus nollet liberare tres pueros de fornace, quos tamen liberare voluit, & re ipsa liberauit, cui consonat illud *Escher* 13. [non est qui possit tuae resistere voluntati, si decreueris saluare nos, continuo liberabimur,] hic praeter quam quod significatur potuisse Deum non facere quod fecit, habetur etiam vocabulum decernendi, quod proprie ad liberum arbitrium pertinet: ecce manifeste in his omnibus contra Thomistas ostenditur expressa, ac formalis indifferentia voluntatis diuinae, quia nihil aliud est indifferentia formalis, quam ita facere aliquod

I. P. Tom. II.

vt possit facere oppositum, & ita velle aliquid vt posset nolle id ipsum; sed Deus ita se habet, vt quando liberat pueros, & vult liberare illos, potuerit nolle liberare eosdem: ergo Deus habet formalissimam, & rigorosissimam indifferentiam in voluntate; quod etiam clare traditur *Sapientia* 11. [non erat impossibilis manus tua immittere illis multitudinem virorum, aut audaces leones] non tamen immisit; quare poterat facere; quod non fecit; *ibidem* [miseris omnium, qui omnia potes dissimulans peccata hominum propter poenitentiam;] at certe non vere dicitur dissimulare peccata is, qui non punit, quia non potest, sed is, qui cum possit non vult: in quibus verbis multis modis declaratur indifferentia formalis dei, & libertas diuinae voluntatis, quia dicitur deum moueri poenitentia ad dissimulandum peccata: ergo supponitur libertatis indifferentia in tali voluntate; quia id, quod libertatem non habet, nullo modo veri potest ad agendum, aut non agendum dissimulando peccata cum potuisset poenas sceleribus debitas infligere; praecipue cum haec motio ad dissimulandum sit ratione misericordiae; quae quia virtus moralis est essentialiter perit in miserante libertatem, cum moralitas libertatem essentialiter requirit.

43 Accedunt ad haec verba illa, quae habentur *Matth.* 23. [potens est deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ;] in quem locum Hieronymus Chrysostomus Theophilus, necnon Ambrosius in caput 3. *Luce* scribunt, ex veris, proprieque dictis lapidibus posse deum excitare filios Abrahæ, quamvis nunquam id fecerit. *Mat.* 19. [facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum celorum;] & paulo post [apud homines hoc impossibile est; apud Deum omnia possibilia sunt.]

44 Nec valet; si quis dicat posse fieri, vt camelus transeat per foramen acus si redigatur ad subtilitatem tenuissimam fili, quemadmodum olim Pelagiani dicebant posse diuitem saluum fieri, si venditis omnibus, pauper fieret, alioqui non posse hoc (inquam) non valet quoniam Dominus ait, hoc impossibile esse hominibus, Deo autem esse omnia possibilia. Non est autem impossibile hominibus, ficere vt camelus transeat per foramen acus, si ad fili tenuitatem antea redigatur. Itaque Sanctus Gregorius Nazianzenus ex hoc Evangelij testimonio affirmat *lib. 4. de Theologia*, posse Deum facere vt camelus manens camelus transeat per foramen acus; quod tamen nec fecit nec vnquam fortasse faciet.

45 Vrget etiam illud *Mat.* 16. [an putas, quia non possum rogare Patrem meum & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum;] ergo habebat Christus potestatem orandi Patrem, vt mitteret ad se plusquam duodecim legiones Angelorum. Item Pater etiam poterat mittere, & tamen neuter fecit quod poterat facere: ergo habebat Christus, & habet Deus indifferentiam formalem ad vtrumque.

46 Respondet Vnichleph, potuisse Christum à Patre legiones petere, non à quibus defenderetur, sed quae sibi eo tempore adessent, potuisse quoque Patrem mittere eas legiones, si voluisset, sed non potuisse velle.

47 Sed haec responsio digna suo autore, ineptissima est, primum enim certum est hoc loco non

p p agi

aliud autem in contumeliam] quod explicans Athanasius *orat. 2. contra Arianos, prope medium, & orat. 4. fule*, & frequenter docet Deum non necessitate operari, sed quando voluit, creavisse mundum, cum potuisset antea creare, aut nunquam creare & ideo ait, [deliberare, & diligere in utramque partem momenta sua habet, & ea affectio in naturam rationalem cadit.] Ita declarat indifferentiam diuini arbitrij, quam etiam suo & Apostoli more nomine beneplaciti, & voluntatis intelligit *orat. 4. contra Arianos*; quod etiam facit Iustinus *g. 1. 14. ad Orthodoxos*, his verbis: [actionis diuinæ potentiam non naturali necessitate, sed proprio consilio libertatis constare.] Gregorius Nyssenus *lib. 6. Philosophia, qui est de fano. cap. 40.* ait: [non enim necessitati Deus pareat, neque fas est dicere eius voluntatem necessitati seruire, etenim necessitatis ipse author est, ipse Deus non solum extra omnem necessitatem locatus est, sed etiam eius dominus, & author est: cum enim sit potestas, & natura libera potestatis nihil, neque naturæ necessitate, neque legis sanctione facit, sed omnia sunt illi contingentia, etiam quæ sunt necessaria,] id est etiam illa, quæ necessario sequuntur ex causis naturalibus, & quæ necessario perueherant, quoniam sunt naturaliter incorruptibilia, comparatione tamen diuinæ voluntatis contingentia sunt; quoniam potest illam non producere, & potest iam producta annihilare. Deinde monet propter huiusmodi libertatem ostendendam mutasse Deum in aliquibus rebus naturæ cursum, ut iuvando cursum solis, aut lunæ consistere.

57 Quod eisdem pene verbis docet Augustinus *lib. 6. de Genes. ad litt. cap. 14. ibi*; restat igitur, ut ad utrumque modum habiles creaturæ sint, sive ad istum, quo vltatissime temporalia transcurrunt, sive ad illum, quo rara, & mirabilia sunt, sicut Deo facere placuerit, quod tempori congruat; Porro creaturæ non essent ad utrumque modum habiles, si Dei voluntas, & potentia non esset ad utrumque modum indifferens; siue ad seruandum ordinem communis providentiæ, siue ad faciendam pro libito miracula; vnde concludit *cap. 15.* [Manifestum est etiam sic non factum esse hominem, contra quod erat in illa prima conditione causarum: quia ibi erat etiam sic fieri posse, quamvis non ibi erat, ita fieri necesse esse, hoc enim non erat in conditione creaturæ, sed in placito libero Creatoris, cuius voluntas rerum necessitas est;] quod si diuina voluntas fuisset necessario determinata, ut veller hominem sic & non aliter condere in ea conditione causarum fuisset, ita fieri necesse esse, nec hoc esset positum in placito creatoris.

SVBSECTIO VNICA

Rationibus demonstratur veritas.

58 ET primo pro hoc negotio militat omnes demonstrationes, quibus supra probavimus dari in Deo voluntatem; ex eo quod voluntas reperitur in effectibus Dei, quæ nihil habent, nisi participatum à Deo, à quo necessario debent participare perfectiones suas; sicut est voluntas, quæ secundum se, & in statu præci-

I. P. Tom. II.

so ab imperfectionibus est perfectio simpliciter simplex, ac proinde debet reperiri in Deo, sed libertas, & indifferentia formalis dominij reperitur in effectibus creatis à Deo participata ab ipso; quia nihil est in effectu, quod non contineatur in causa; & ex alio capite libertatis indifferentia cum pleno dominio ad utrumlibet, est perfectio simpliciter simplex, si concipiatur præcisa ab imperfectionibus: ergo formaliter reperitur in Deo.

59 Vergetur, quia Deus ita debet esse perfectissimus ens, ut aliud eo perfectius excogitari non possit, sed si Deus non haberet libertatem formalem, aliud ens posset excogitari perfectius deo scilicet illud, quod haberet omnem perfectionem, quam habet Deus, & præter illam etiam libertatem, quæ ubicunque reperitur, magna perfectio est, quam qui neget expoliari deberet ipsa in poenam tanti delicti suffragandi laudem, & excellentiam ab arbitrio; cuius evidens signum est, nullum hominem rationis competentem velle pro quocunque bono commutare libertatem, ut concinit Poëta.

Non bene pro toto libertas venditur auro.

60 Ergo hæc maxima perfectio non debet negari Deo, sed potius perfectissima est ipsi concedenda, etiam si illam non intelligamus; nam difficilius intelligimus mysterium Trinitatis, & nihilominus illud negare non audemus, sed potius fatemur illud, & nostram simul ignorantiam consistere; quapropter quod Theologus cordatus debet facere, est excogitare modum quemdam Deo dignum conformemque maiestati, & infinitæ perfectioni diuinæ, & nullo modo lumini naturæ bonæ philosophiæ, rectæque metaphysicæ repugnantem, quem si inuenire non potuerit Cherubinorum Israël ante conspectum Dei facies suas velantium vestigiis insistentem suamque ignorantiam patefaciens in illud trisagium prorumpat, Sanctus, Sanctus, Sanctus; additis illis verbis, quam incomprehensibilia sunt iudicia tua, & investigabiles viæ tuæ.

61 Secundo sic demonstratur principaliter ex effectibus omnipotentis proprietate indifferentiæ, & libertatis diuinæ; quia omnipotentia Dei tam extensive, quam intensive infinite perfecta est in sua virtute productiva, ac proinde efficacissima; & omnium excellentissima; sicut scientia & voluntas, & quicquid in Deo est; nam sicut Deus est infinitus per essentiam, ita etiam omnipotentia, & reliqua attributa summam infinitatem habent, quatenus proportionantur cum essentia: ergo ultra hæc, quæ produxit Deus per suam omnipotentiam potest producere perfectiora, & meliora; quoniam in his productis non ostendit aut exercet totam, & adequatam infinitam virtutem, tam intensivam, quam extensivam: ergo libere hæc produxit, & indifferenter, ac proinde habebit indifferentiam, & libertatem in producendo; probo consequentiam, quia si produxisset ex necessitate naturæ, operaretur secundum vltimum potentia suæ, tum in velocitate producendi, tum in numero, & quantitate creaturarum, tum in qualitatibus, & perfectionibus secundum earum capacitatem; quia neque ab intrinseco limitari posset, quoniam fortè agens necessarium, neque ab extrinseco, quoniam infinita potentia est, cui nulla finita potentia resistere potest, & nulli extrinseco agenti subiectam potentiam habet, ac proinde produxisset ab æterno simul, aut simul in principio

Pp 2 tempo

temporis orbes cœlestes, & terrestres, homines, &c. in multitudine infinita, & species rerum, quibus constarent perfectiores, atque perfectiores sine termino, & indiuidua harum specierum non tantum qualitate perfectiora, & numero infinita: ergo ex successiuo modo producendi vnam rem post aliam, quando ex parte ipsarum nulla datur repugnantia, vt simul producantur, & ideo sapissime simul producantur, verbi gratia duo homines, duo leones, duæ pluuiæ, aut guttæ aquæ; item ex vno duntaxat orbe producto, ex speciebus in eo, & ex indiuiduis specierum in ipso, & ex qualitate singularium in hoc pondere, numero, & mensura, quibus hæc omnia condita sunt manifesta demonstratione ostenditur diuina libertas, & indifferentia, seu dominium, quo determinatur Deus ad successiue producendum vnum indiuiduum post aliud, quando simul poterat producere infinita.

62 Vergetur, quia cognitio diuina ipsam voluntatem, & omnipotentiam actionem præcedens indifferenter ipsi proponebat omnium rerum producibilitatem, tam earum, quæ fuerunt, sunt, & erunt, quam earum, quæ nunquam producentur: ergo si has potius, quam illas elegit ad producendum, & alias multo perfectiores reliquit in pura possibilitate, signum euidentius est, summam libertatem habere ad producendum, & summam indifferentiam, & dominium in eligendo hoc potius, quam illud; nam si ageret Deus necessario determinatus, nulla ratio reddi posset, quare determinatus fuerit ad has, & non ad illas, quare elegerit has, & non illas, & ex alio capite has easdem, quas produxit, varie gubernare, ac conseruare, vel destruere possit, nulla reddi potest ratio, cur hac ratione & non alia eis prouideat: eas gubernet? & moderetur? ergo ex creatione, & modo creandi, ex electione prouidentia, atque gubernatione creaturarum, quas habemus euidenter ostenditur diuinæ libertatis indifferentia formalis.

63 Vergetur, quia si Deus sine libertate ageret ex necessitate naturæ, nulli essent in vniuerso effectus contingentes, quod est contra veram Philosophiam, & experientiam; sequela patet, quia si prima causa ex necessitate ageret quantum posset ageret, ac proinde nulla causa secunda ei posset resistere: ergo tanta necessitate moueretur, quanta prima causa moueret, atque ita absoluta necessitate vnum ex alio sequeretur.

64 Dices, Deum agere ex necessitate naturæ, non absolute, & simpliciter respectu potentia suæ, sed duntaxat agere ex necessitate iuxta finem apprehensum, vt v. g. si dicamus, Deum ex necessitate mouere cœlum tanta velocitate, & non maiori; non quia absolute non possit velocius mouere, aut maiorem imprimere impulsu, sed quia apprehendit hanc velocitatem esse convenientem cœlo, & mundo, & necessitate naturæ id operatur, quod necessitas finis exigit; atque in hunc modum interpretatur Aristotelis sententiam Zonzinas 12. metaphys. q. 39. & 4.

65 Sed contra, quia hæc sententia vt optime aduertit P. Suarez, est erronea in fide & lumini naturæ contraria, quod euidenter demonstrat sic. Primo, quia si diuina potentia non est limitata ad definitum effectum; v. g. ad hanc motus velocitatem, neque voluntas diuina natura sua potest esse determinata ad volendam illam ex necessitate, & non maiorem, neque minorem. Cur enim, aut vnde talem determinationem ha-

bet? Dices habere illam ex fine, verbi gratia, quia talis motus expedit ad bonum vniuersi quod Deus intendit.

Sed contra, nam de hoc ipso fine inquiram, 66 cur voluntas diuina sit determinata ad volendum ex necessitate hoc vniuersum, & bonum eius, cum potentia Dei non sit ad hoc limitata, sed possit aliud vniuersum, vel simile, vel perfectius efficere. Deinde in hoc eodem vniuerso posset diuina sapientia alios modos inuenire componendi motus cœlorum cum maiori vel minori velocitate, ex qua consurgeret proportio aequæ utilis ad conseruationem vniuersi ac est illa, quæ nunc in cœlis reperitur: est igitur ille modus determinationis diuinæ prorsus irrationalis. An vero sit sufficiens ad intentionem Aristotelis, infra ostendam.

Secundo repugnat etiam diuinæ perfectioni, 67 nam ex illa positione sequitur, Deum non tam velle, & operari ex rationali voluntate, quam veluti naturali instinctu: quæ est magna imperfectio multum accedens ad imperfectionem brutorum, & ad perfectionem intellectualis nature declinans. Declaratur sequela: nam Deus est potens ad producendos hos Angelos, & innumeros alios, & licet non necessario determinetur, vt velit creare omnes quos potest, nihilominus ex naturali necessitate determinatur, tum vt iudicet hos sibi esse creandos, & non alios, & vt velit hos, & non alios creare; hæc autem determinatio non oritur ex ratione aliqua à Deo cognita, quæ illum ex necessitate mouere possit; nam sicut cognoscit creationem horum esse sibi possibilem, ita & aliorum: & sicut in his manifestat bonitatem suam, ita faceret in aliis, & fortasse perfectius, si illi essent perfectiores: ergo illa determinatio non potest reduci, nisi in aliquem veluti naturalem instinctum diuinæ naturæ. Nec in hoc est simile de determinatione ad se amandum; quia illa reuera fundatur in obiecti dignitate, & necessitate ab ipso Deo cognita, & ideo ita est naturalis, vt sit etiam rationalis, & perfectissima. Quod in obiecto creato recte non potest; quia nulla maior necessitas reperitur in his Angelis, quam in aliis possibilibus.

Atque hinc sumitur ratio à priori, quia nullum bonum extra Deum cognoscitur ab ipso, vt necessarium vel ad suum esse, vel ad suam felicitatem, vel ad suam consummatam perfectionem: ergo voluntas eius nullo modo determinatur necessario ad volendum aliquod ex his bonis. Antecedens constat ex dictis in superioribus; ideo enim probauimus, Deum esse bonum sibi sufficiens, nullamque veram perfectionem illi accrescere ex hoc, quod velit creaturas. Consequentia autem probatur, quia motus voluntatis sequitur rationem, & ideo necessario non amat, nisi necessarium bonum, quæmobrem dici solet, ex indifferentia iudicii oriri libertatem voluntatis: ex indifferentia (inquam) obiectiua, ita enim vno verbo recte exponitur, id est ex eo quod obiectum volendum indifferens, seu non necessarium indicatur; vnde etiam intelligitur, (quod maxime hanc veritatem confirmat) libertatem circa talia obiecta ad magnam perfectionem pertinere, quia posse vnumquodque amare iuxta mensuram, vel proportionem suæ bonitatis, magna est perfectio: sicut ergo necessario amare necessarium bonum magna perfectio est, ita bonum non necessarium non necessario amare, sed pro iudicio rationis & dominio libertatis, maxima perfectio est: non potest ergo Deo denegari.

Quaest. II. in quo consistat actus liber Dei. 301

eo vel maxime quod creaturae intellectuales hac fruuntur libertate, & perfectione, quae licet in eis habeat aliquas imperfectiones adiunctas, non sunt tamen de ratione libertatis ut sic: non potest ergo talis perfectio Deo denegari; à quo enim illam participarent creaturae, si Deus illa careret, ut supra diximus, & è conuerso nulla creatura rationalis habet illam naturalem determinationem ad volendum aliquod obiectum, ex iis, quae ex se necessaria non sunt, sed vel à quae amabilia, si considerentur ut fines, vel à quae eligibilia, si considerentur ut media: cur ergo tribuetur Deo talis determinatio, cum ad perfectionem non spectet?

69 Tercio contra Thomistas inclinantes in sententiam aduersariorum, quos iam impugnauimus, sic argumentor, quia opposita sententia sibi in terminis contradicit; nam impossibile omnino esset Deum iudicare, cognitionemque diuinam proponere ipsi, creaturas non habere necessariam connexionem cum fine, sed potius ex se habere indifferentiam si non esset in Deo ratio libertatis in voluntate, praeter indifferentiam obiectiuam cognitionis.

70 Verbi gratia exemplo hoc declaratur; nam si in Deo nulla ratio libertatis reperitur in voluntate, & solum datur illa cognitio cum indifferentia proponens, necesse est omnino ex suppositione talis cognitionis, ut non sit in volitione, nec fuerit possibilitas, ut non vellet producere Petrum, quare necessarium fuit hic, & nunc producere Petrum, & impossibile non producere ipsum, quia ex suppositione efficacis volitionis Dei, necessario sequitur productio, ac per consequens sequitur manifeste, hanc veritatem praecessisse cognitionem à diuino intellectu, vnde necessarium esset, ut Deus vellet creare, & de facto crearet Petrum, cuius contradictorio iudicio deciperetur Deus, nimirum si iudicaret Michaëlem non habere necessariam connexionem cum Deo, sed esse secundum se indifferentem, ut Deus illum creare vellet, aut nollet creare sed potius vellet non creare illum.

71 Declaratur amplius labefactando fundamentum aduersariorum, quia si eminentissima, & excellentissima perfectio eo quod nullam admittat potentialitatem, ideo non fuit indifferens, ut eadem intellectione manente vellet aut nollet producere Petrum, propter eandem omnino rationem intellectus diuinus nullam habuit indifferentiam ut iudicaret Michaëlem, verbi gratia, aut Petrum non esse creandum, & ut imperium productionis omitteret; quod si intellectui Dei, licet actui purissimo possibile fuit non imperare productionem Petri, nec iudicare illum esse creandum, potiori iure conueniet voluntati possibilitas nolendi producere Michaëlem, aut Petrum, sed volendi non curare illum.

72 Vnde ipsi aduersarii propriis verbis omnem prorsus indifferentiam auferunt à Deo, tam quantum ad actus volitionis, & intellectionis, quam quantum ad operationes ad extra, & effectus creatos; quia nihil est vnde pullulet indifferentia in Deo; nam imprimis diuinus intellectus necessario determinatur ad iudicandum creare Petrum esse possibile, & dignum opus infinito artifice. Deinde Petrum esse de facto producendum iudicare aut imperare non potest diuinus intellectus, nisi dependenter à diuina voluntate determinante se ad volendum creare Petrum: ergo si à diuina voluntate auferitis omnem indifferentiam formaliter ad volendum, vel non volendum creare Petrum supposita cognitione, quae praecedit in intellectu, iam voluntas necessario determinata est,

ut velit creare, & consequenter intellectus diuinus necessario determinatus est ad creationem imperandam, & asserendam, & creatio necessario erit, ac proinde omnis tollitur indifferentia à Deo, quod non est tutum in fide, praecipue quia sequitur manifeste ex ipsorum modo loquendi, voluntatem diuinam non posse continere intellectum diuinum, ne imperet creationem Petri; nam si posset eo ipso haberet aliam rationem indifferentiae, praeter cognitionem illam obiectorum, non habentium necessariam connexionem cum fine.

Tandem, quia humanae libertati non sufficit cognitio intellectus proponens rationes boni pro vtraque parte contradictionis, & iudicans vtramque posse eligi, sed praeterea requiritur in voluntate indifferentia ut posita illa conditione, & ceteris omnibus requisitis ad volendum tale obiectum possit velle, & non velle illud obiectum, ut late demonstrabitur à nobis *disput. de omnipot.* infra ponenda contra praedeterminantes physice: ergo similiter in Deo non sufficit, ut ex dicendis postea amplius patebit.

Declaratur; quia vel quando dicitis, totam indifferentiam Dei reperiri in intellectione & non in voluntate, asseritis nullum habere dominium Deum circa suas operationes ad producendas has; vel illas, & ita producere has, ut posset non producere illas, & sic omnino tollitis maximam perfectionem diuinam, nimirum libertatem omnem à Deo, quod est haereticum, vel solum dicitis, indifferentiam, & dominium, quod nos ponimus in voluntate; vos ponere in intellectu, & ratione illius posse Deum cum summa indifferentia, & dominio operari ad placitum suum, & hoc erit solum quaestio de nomine, & solum erit disputare, an libertas plena, & perfecta consistat in intellectu, & non in voluntate, quod non est ad rem, neque ad propositum huius quaestionis.

SECTIO VII.

Nostra secunda conclusio ponitur.

Actus liber Dei non constituitur formaliter, & ultimo per creaturam, itavt ex entitate diuina, & ex creatura adequate coalescat decretum liberum Dei; hæc est plausibilior sententia quam defendit inter multos Pater Franciscus Suarez, in *Met. disp. 30. sect. 10. per totam*, & probatur hac demonstratione.

73 Nulla causa efficiens adhuc per potentiam Dei absolutam potest seipsam primo cauare, itavt eadem formalitas sit causa & effectus sui ipsius; sed si actus liber Dei constitueretur ultimo & formaliter per creaturam, ipse actus liber Dei esset causa efficiens sui ipsius in prima causatione: ergo actus liber Dei non potest constitui formalis sine ultimo per creaturam.

74 Maior est evidens in metaphysica secundum lumen naturae, & in fide catholica certissima secundum lumen supernaturale reuelationis diuinae. Fundamentum, cui innititur hæc veritas, est evidentissimum illud principium, quidquid producit ab alio producit; quod tum in creatis, tum in diuinis verificatur; quapropter persona diuina producta distinguitur realiter à producente; vnde Filius non potest à seipso produci, ut producit à Patre; in creatis vero quidquid primo causatur, sine ulla dubitatione, aut tergiversatione omnino distinguitur realiter à causante; quia

P p 3 causa